



# Disputatio juridica de justitia et jure octava

<https://hdl.handle.net/1874/235056>

D I S P U T A T I O J U R I D I C A  
D E  
J U S T I T I A E T J U R E,  
O C T A V A,  
Et quidem  
D E L E G E R E G I A.


Q V A M  
F. D. O. M.

S U B P R A E S I D I O

*Viri Clarissimi,*

D. PAULI VOET, Juris in Illustri Aca-  
demiâ Ultrajectinâ Professoris ordinarii

*Publicè ventilandam proponit*  
JOHANNES NADANYI Ungarus,  
*Ad diem 26. Junii, horis locoque solitis.*



U L T R A J E C T I,  
Ex Officinâ Johannis à Waesberge,  
Anno c l c l v i i i .

*Spectabili ac Magnifico Heroi*

D. FRANCISCO REDEI, de kis RHEDE Illu-  
strissimi Transilvaniæ Principis Consiliario intimo, Co-  
mitatum BIHOR & MARAMOROS Comiti supremo,  
Domino ac fautori sibi perpetim colendissimo.

*U T E T*

*Spectabili ac Magnifico Viro*

D. NICOLAO ZOLYOMII, Libero Baroni in  
VALDA HUNYAD KREKI &c. Domino sibi sum-  
mis honoribus in æternum colendo.

*N E C N O N*

*Generoso ac Vere Nobilissimo Viro*

D. GREGORIO LOVEI, Illustrissimæ Transyl-  
vanix Principis Arcis, & Præsidii MUNKACSIENSIS Ca-  
pitaneo supremo, Domino ac Affini mihi quoad vi-  
vam honorando.

*Generosissimis ac Vere Nobilissimis Viris*

D. MARTINO BOLDVAI *Illi Incliti comi-*  
D. STEPHANO VIRGINAS *tatus Bihoriensis*  
*Vice Comiti dignissimo, huic Illustrissimi Principis Transylva-*  
*niae bonorum Fiscalium per Hungariam Directori &c. Dominis*  
*summis honoribus in æternum venerandis*

Hoc exercitium Academicum

E. Q. P. E. R. O. & I.

JOHANNES NADANYI

*Resp.*

**C**ontemplanti mihi multis, ac magnis nominibus even-  
bendam aliis natam hominum naturam, Viri Magni-  
fici & Generosissimi, non aliam virtutem vehemen-  
tiorem esse memoria prodit, quam quae non unius sin-  
gularis usu, sed omnium pene mortalium aviditate tenetur. Vbi  
enim omnia tanto ordine à virtute disposita, ut nusquam vel mi-  
nima publicorum cura deponatur, tandem egregie humanis re-  
bus naturā consuliisse animadvertisimus. Mirabilis mundi com-  
pages singulis fere rationum monumentis in id confluere sat agit,  
ut cum ibi omnia à summo imis, ab uno plurimis à Deo singulis  
tribuuntur, eam laudem toti Orbi præponamus ex cuius desiderio  
singuli singulas virtutes, cuncti cuncta rerum documenta ex-  
pectamus. Hæc est viva quadam effigies fortissimorum Arte  
& Marte quorumque virorum, ii quondam pro salute Patriæ,  
rebusque fratrum ingenti animo decertarunt, singulaque incom-  
moda, sibi modo suisque profint, incolumentaque suorum potian-  
tur, spernere intenderunt, ut non nisi iis viverent, qnibus vi-  
vere primi eorum officii esse comperti sunt. Hinc magna nomi-  
num simulachra, hinc rerum graviorum perpetuos sectatores  
ab initio mundus in apricum produxit. Hinc glorioſissimus Ma-  
cedo Orbis terræ dominorū tandem Herculem superare intendens,  
non per Eacidas aut Herculem, sed ab ipso protinus Iove di-  
vine stirpis riginem afferuitores quidem magni exempli, sed  
quia virtus nihil omittit in expertum & tedium laboris ad vilita-  
tem sui compelli non nisi ignavorum est, hi animi magna quaque  
& ardua (quid enim Iove majus) haud graviter attenterunt.  
Hunc Hannibal rerum Dominos fundens fugansque; Scipio gen-  
tis Africanae deictor, unde adhuc cognomine Africani su-  
perbit. Nec tamen propria est hac laus priscorum: non Hectoris,  
non Achillis & Pompeji Crasique potentia nostro perinde secu-  
lo communis, Lepidi atque Antonii arma universa posteritati

relicta. Hæc vera esse vestra virtutes testantur, vos estis  
Reipub. pace belloque defensores potentissimi, & non solum ar-  
mis decoratam sed & legibus armatam (ut Sacratissimo Principi  
loqui in votis est) custoditis Remp. Et haec Clarissimi Charissimiq;  
mei Praeceptoris (cujus præclara in me merita ubi enarrare ve-  
lim scriptioñis modū egrediar necesse est) lucubrationes non nisi  
vestro nomine gestire possunt, aquum enim est ut in quorum fo-  
ro quotidie hujusmodi iustitiae, & aequitatis effectus contempla-  
mur, apud eos voluntas jus suum cuique tribuendi pedem figat.  
Et certe vestra humanitas & benevolentia qua me ipsum ample-  
xi estis ab initio idem probant, ut nonnisi ingratitudinis macu-  
lam incurrat cuius animis ea intermoritur. Vivite Viri Magni-  
fici, & Generosissimi ad annos Nestoreos, & Remp. cuius ha-  
etenus rationes fæliciter curastis ulterius curate, & me amplis-  
simorum nominum vestrorum devotum assertorem vestra hu-  
manitate, & benevolentia fovete.

Vestrorum nominum Amplissimorum

Devotissimus Cultor

JOHANNES NADANYI

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
JUSTITIA ET JURE,  
OCTAVA,  
Et quidem  
DE LEGE REGIA.

THEISIS I.

**I**us in republicâ liberâ triplex erat, Lex, plebis-  
citum, & consultum senatus. Post mutatâ rei-  
publice formam, solûmodo Principis constitu-  
tio jus erat; utpote cuius solius est legem ferre,  
eamque interpretari. Verum quia omnis illa  
potestas lege Regiâ in Principem dicitur trans-  
lata, ideo antequâ agatur de Principis constitu-  
tionibus, *Regiæ legis* natura erit explicanda. Et quia hæc juris ma-  
teria satis est intricata, propter dissentientiam autorum opiniones  
multiplices, operæ precium me facturum existumavi, si primitus  
varias *legi Regiæ* acceptiones protulero. Ne aliter sub ambiguâ  
legi regiæ acceptione, obscurus esse videar, neque quis sit con-  
troversie status, innoteſcat satis. Eam itaque intueor vel ut dicta  
regia ab autore, vel ut ita appellatâ contentâ materiâ, id est à Re-  
ge, quod de Rege eiusque agat potestate. Neque hæc leges nobis  
erunt confundendæ, ut quæ multis modis discriminentur. Illa  
quippe populi consensu non semper lata est; hæc vero ab ipso lata  
populo. Illa est, quam rex tulit ad populum, & quidem super  
populo; hæc vero, quam populus tulit super jure regis. Sic ut illâ  
designetur Regis in ipsum populum imperium, hæc populi in  
omnes potestas, etiam ante translationem ejus potestatis in ipsum  
regem. De illâ lege Regiâ, seu potius Regiis legibus, numero  
plurali, in jure non semel fit mentio. Olim, *manu Regiâ*, id est,  
uti interpretor, lege, à Regi latâ, omnes gubernabantur, l. 2. §. 1.

A 3.

& §.

& s. 36. D. orig. jur. Et post regia leges dictæ, quas reges tulerunt ad populum. l. 2. §. 2. D. eod. l. 2. D. Mortu. infer. Cujac. §. 1. ad tit. D. eod.

I f.

Quæ verò Regia dicta est ab autore, potissimum jam explicandum. Quod ut fiat commodissime, eam secundum varia tempora considerabo: ut est Antiquissima, ut media, ut Nova. Antiquissima lex Regia autoribus appellata, quæ lata est, in eunte regnum Romulo, primo Romanorum rege; adeoque simul cum urbe nata. Hottom. de leg. pop. Rom.

I II. H. T.

Nova appellata, quæ in imperio Declinante locum habet, adeoque ea erit, quæ non tam potestas absoluta in imperatorem transfertur, quam quidem ejusdem potestas limitatur, adeoque tanquam frenis ac retinaculis sistitur, coërcetur; ne illi id omne liceat, quod libuerit. Qualis est illa capitulatio cæsarea, quæ in imperio Germanorum locum habet. Carpzov. de l. Reg. Germanor. c. 1. n. 11.

I V.

Media dicta Regia, non tantum, quod de Regno sive imperio Principis agat, sed etiam de potestate à populo in principem translatâ. §. 6. Instit. jur. nat. Gent. civ. l. 1. in init. D. Const. Prim. §. 7. D. concept. digest. Adeo ut sine fundamento pro lege Regia Rhemniam substituant Alciat. in l. bona civit. n. 1. D. verb. Sign. &c dubitanter Coras. 6. Mise. c. 8. n. 2.

V.

Hæc eadem dicta, lex Augusti, l. 14. D. Manumiss. Augustum Privilium. l. unic. §. antepen. Cod. Cad. Toll. Lex imperii, l. 3. Cod. Testam. Eamque sic ab initio dictam fuisse, non regiam, idque ad invidiam nominis evitandam, probabiliter colligitur ex illo Dion. l. 53. Ubi ita latinè: Cæsar quamvis Romuli nomen vehementer appetebat, tamen quam sentiret hinc se suspectum, affectati Regni fieri, eo omiso, Augustus, quasi hominis natura amplior ipse cognominatus est. Et post. Ad hunc itaque modum ratione eorum nominum, quo in populari civitatis statu usurpantur, omnem totius rei publicæ potestatem accipiunt: ac regiam etiam,

nisi

*nisi quod invidiam nominis vitant. Quo cum facit illud Tacit. Annal. 1.  
non regno, nec dictaturā, sed Principi nomine constitutam fuisse Rēpubli-  
cam. & Annal. 3. Tiberius tribunitiam Druso petebat. Id summi fa-  
stigii vocabulum Augustus repperit, ne regis aut dictatoris nomen assumeret,  
ac tamen appellatione aliquā cetera Imperia praminebat.*

V I.

Hujus Regiē legis verba, q̄neq̄ tabule (non marmoreæ, uti non-  
nulli censuerunt) incisa, non nisi secundum partē ultimam, *Georg.*  
*Fabrit. Antiq.* 1. quam imperitum vulgus quonda Pontii Pilati sen-  
tentia continere credidit, *Anton. Augus. dial. Antiq.* 4. In Basilicā La-  
teranensi extare communiter statutum. *Anton. Augus. d.l. Hottom. de*  
*Leg. pop. Rom. Licet* verosimilior Eccardi opinio, qui *disp. pec. de leg.*  
*Reg. hoc legis Regiē monumentū è Laterano in Capitolium trans-  
latum, ibidemque etiamnum hodie extare, & asservari scribit.*

V II.

Circa hanc Regiam legem quæsitum. an ea unquam fuerit latua?  
Respondeo, licet *Connan*, 1. *comm.* 16. aliique statuant: eam  
latam à populo nunquam fuisse; verum à postremis imperatori-  
bus, ut sic aliquam suę Tyrannidi legem obtenderent: at ta-  
men quia non facile, historiæ Imperatorum fides, ut & autoriti-  
tates jurisconsultorum, in corpore juris occurrentes, sunt convel-  
lendæ, nisi manifestioribus probationibus contra veritatem  
multa scripsisse convincantur, non video, cur non eam legem  
quondam latam fuisse. sit admittendum. §. 6. *Instit. jur. nat. Gent. ci-  
vili. l. 2. §. 11. D. Crig. jur. l. 1. in init. D. Conſtit. Princip. §. 6. D. Concept. l.  
unic. D. de off. Praef. Prætor. Strabol. 17. Dion. lib. 53. Ammian. Marcell.  
lib. 14. p. 12. cuius aliquot loca postmodum preferenda, neque enim  
in jure sine Historicorum autoritate decidenda quæſtio, quæ poti-  
mum historicā ni-titur fide. Argum. §. 2. *Instit. empt. vendit.* Nec  
quicquam obstat, quod Historicī illius temporis legis Regiæ men-  
tionem nullam faciant, uti qui contrarium tenent, afferunt. Et  
quia, inter illos nonnulli haud latenter, illius legis contentum ex-  
primunt. Et quia, id affirmant tot fide digni jurisconsulti, qui  
ævo Augusti proximi. Et quia argumentum ab autoritate de-  
sumptum, non habet negativę.*

Quæ-

## VIII.

Quæsitum amplius An saltem quæ de lege Regiâ in jure dicuntur non ad Romanos sed potius ad jus regium à Samuele propositum sint referenda. Ita quidem velit Vulcejus, quem refutat Bullans in *disp. de Trib. Gener. jur. Praecept. n. 10.* quia nullo fundamento nititur. Neque enim lex Regia, cum jure Regio à Samuele descripto, est confundenda. Probabile enim Romanos de illo jure Regio Samuelis, diu ante erectum principatum lato, ne quidem per somnium cogitasse. Præterquam quod lex illa Regia Romanorum vere fuerit lex, cum jus Regium Samuelis, non lex, sed consuetudo, sed modus Regis sit nuncupandus. Sic enim vocabulum *Mispah*. quod in textu Hebræo occurrit, *1 Sam. 8. v. 11.* in aliis scripturæ locis usurpatur. Ita *1. Sam. 2. vers. 13.* Improbata filiorum Eli; consuetudo. *E: 1. Sam. 27. vers. 11.* fraudulentum Davidis factum, *Misphat* appellatur. Dissent. *Tholos. de Republ. l. 24. c. 7. n. 1.* Accedit, quod eveniente principatu, populum Romanum jus illud, de quo diu ante in Palæstinâ verba fecerat propheta Israëliticus, obligare nullo modo incæperit. Quid enim juris erat Judæis, in illas Gentes quas nunquam subegerant? cumque cæteræ leges Israëlitarum Romanum populum nunquam obligaverint, quo jure, hæc regia lex eum obligaverit, non video: cum omninim legum in ordine ad obligationem, una sit ratio. Quid quod ne quidem nos obligent leges à Judæis latæ, qui tamen in Republicâ degimus Christianâ, tantum abest, ut Romanis, & quidem Gentilibus, eæ latæ dicantur. *Besold. ad tit. D. const. Princip. Ames. lib. 5. c. 1. c. 7. Zepp. leg. Mosaic. l. 1. c. n.*

## X I.

Verum non minor inter autores dissensus est quando ea fuerit lata? Alii eam ad imperium Romuli referri posse censem, ut quo tempore alicui legi regiæ locum fuisse ex *liv. l. 34.* testatur *Hottom. loc. cit.* Verum ea sententia mihi videtur esse improbabilis. Cessavisset quippe ipsa lex Regia, imo in totum fuisse sublata, post sublatum vetustius regnum, sic ut quæ postmodum diceretur renovata non tam revocata esset dicenda, cum non eadem, quam alia quæ de novo condita,

ferit

Alii, legibus antiquioribus de quibus Cicer. 3. de legibus, eam ferunt acceptam, quibus Consulibus idem jus quod regibus videatur esse tributum. Verum & hoc perperam. Licet enim illis legibus dictum sit; *Consules nemini parento*: Quod per incuriam ad 12. Tabul. refert Besold. loc. cit. Attamen non id de populo, ad quem à Consulibus erat provocatio, quam de aliis magistratibus quibus Consules non suberant, est accipiendum.

Alii ante Augusti tempora, Julio Cæsare imperante, legem regiam latam fuisse tenent. Alii eam primitus, (inter quos est etiam *Zas. ad l. 1 D. const. Princ.*) Vespasiani temporibus obtinuisse, volunt. Verum cum illi omnes abunde historicorum autoritatibus refutetur, dicam, quid hic sentiam, idq; multis testimoniiis firmatum ibo. Id quidem verum, quod ante Augusti temporis legis regiae placita obtinuerint, eaque incæpta ferri, cum solus propemodum omnia pro lubitu administraret Julius Cæsar; nondum tamen ea lata, forte quia regis specie solus imperio potiri voluit Cæsar, quod tamē minus feliciter successit. Hoc ipsum satis innuunt Suetonii verba in *Jul. Cæs.* Unus ex eo tempore omnia in republicâ, ad arbitrium administravit: ut nonnulli urbanorum, cum quid per jocum testandé gratia signarent, non Cæsare & Bibulo, sed Iulio & Cæsare actum scriberent, bis eundem proponentes, nomine atque cognomine. utque vulgo mox ferrentur hi versus,

Non Bibulo quicquam nuper, sed Cæsare factum est:

Nam Bibulo fieri consule nil memini.

Adde, Novissime dubium an ijs so volente, oblata pro rostris ab Antonio consule, regni insignia. Test. Flor. lib. 4. c. 2. Paterc. l. 1. Dion. libr. 44. Quæ forte ratio, quod sub initium legis Regiae, uti ea prostat, Julii Cæsaris facta sit mentio. Vid. eam editam apud *Hottom. loc. cit.*

Etiam negari non poterit, quin eadē fuerit renovata temporibus Vespasiani, Clapm. lib. 2. c. 15. Arcan. domin. Revera tamen & quidem solemniter fuit lata, Augusto imperante, idq; eodem annuente, quo populo Romano esset gratior, velut per manus ab eo suscepito imperio *Florus. 4. c. 3. Guil Onciac. quast. jur. Phil. 26.*

Idque confirmatur partim l. 14. in fin. D. Manumiss, ubi appellatur

tur lex Augusti. Partim ratione, quia sub Augusto demum Reipublice forma mutata, & ad Monarchicum statum translatâ, sic ut id ipsi concessum, ut solus rempublicam administraret.

Sub Augusto quippe, sunt verba Herodiani latine translata, Romanorum potentia ad unius arbitrium est devoluta. l. i. in init. Et postquam bellatum ad Actium, omnium potestatem in unum conserri, pacis interfuit. Ta it. Histor. i. Neque enim aliud discordantis patriae medium fuit, quam ut ab uno regeretur. Idem Annal. i. Et qui nostram sententiam dilucide confirmat est Dion Cassius, cuius verba eo lumentius thesibus inserere decrevi. Is lib. 53. p. mihi 495. translatus, ita differentem introducit Augustum Nihil aliud est, quod potius prædicem, aut quo magis glorier, quam quod regiam potestatem, & in te vobis datam (loquitur de Iul. Cæs.) repudiavit, & ego eam habens depono. & idem Historicus in seq. p. 503. Ubi peroravit (scil. Augustus) multis eum verbis precari sunt, ut solus Imperii summam gereret, multisque, quibus id ei persuaderent adductis argumentis, eo tandem compulerunt, ut principatum solus gereret. Cui addatur locus ejusdem autoris, p. 507. quem Leunclavius supplevit. Hoc pacto omne populi senatusque imperium ad Augustum transit, ab eoque perfecta Monarchia Romanorum initium accepit. Ex quibus testimoniosis abunde patet, quo tempore lex regia fuerit lata. Ju Sequentibus agendum de iis quæ magis ex jure civili, quam ex historicis sunt decidenda, sic tamen ut omnibus controversis regiam legem spectantibus, & historicis & rationibus aliquis sit relictus locus. Wurmser. nucl. jur. contr. libr. i. tit. 2. contr. 4.

## X.

Imprimis quæritur, à quo lex illa Regia fuerit lata? Populum eam tulisse, colligitur iis allegationibus, quibus probatum fuit, legem Regiam unquam latam fuisse. Neque enim Rex sibi legem tulit, neque in se omne jus ipse transtulit, quod ejus transferendi nullam habuerit potestatem. Aut si ullam unquam habuerit, eam ut à populo sibi concessam vindicaverit. S. quod Principi. Instit. de jur. nat. Gent. & civil. l. i. D. de princ. Constit. Autores superius allegati.

Finis

### X I.

Finis autem & scopus dictæ legis fuit salus populi seu universitatis. hęc saltēm prophasis, hic pr̄textus. Licet, si verum loqui liceat, lubido dominandi fuerit intentio nonnullorum. Eadem refertur fuisse occasio constituendi Senatus, eumq; vice populi consulendi. §. *Senatus cons. Instit. jur. nat. Gent. & civil. l. 2. §. 8. D. de Orig. jur.* Scilicet intereat Reipublicę ut uni populus subesset. Et Discordantis patrię non aliud remedium erat, quam si ab uno regeretur. *Tacit. Annal. I.*

### X II.

Occasio forte latæ legis fuit metus, fuere minę. Certum enim populum, velpotius senatum vice populi fungentem, eoadactum fuisse potentiam nonnullorum; adeoque armorum formidine coactum, ut in unum omnia conferret. Testatur hoc *Sueton. in August. cap. 26.* Idem quod *Clapmarius* ex aliis sensit in tractatu de *Arcan. Imperii libr. 2. cap. 15.*

### X III.

Unde quæsitum, utrum hoc factum teneat, aut jus in posterum faciat quo populus in principem sua transtulisse dicitur? Respondeo, licet forte rescindi possit, quod ita gestum est; quia tamen aliquis ibi fuit consensus, uti testatur *Dion. loco superius allegato*, contractum inter Principem & populum tenere dicendum est. Arg. §. 1. *Instit. de Except. l. 2. I. §. 5. & in fin. D.* Quod *Met. caus. gest.*

### X IV.

Quid si tamen Princeps populum vi eo adegerit, & quidem contra protestantem, vel occulte, vel propalam; anne etiamnum tali conventioni, aut contractui stare tenebitur, adeoque Principi subjectus erit? Resp. licet de facto subjectus sit dum forte armis subigitur, non tamen de jure subesse tenetur, quod nullus populi in subjectionem fuerit consensus. In tantum etiam ut quacunque occasione impune jugum illud, modo virium satis habeat. ab jicere valeat. Argum. l. 6. §. ult. D. *Acquir. vel omitt. hered.* Argum. §. 10. *Instit. de Rer. divisi. Net obſt. §. 17. Instit. eod.*

### X V.

Sed quæsitum, quale jus in Principem sit collatum? Respondeo, Id omne quod antea populus, aut Senatus habuit. Sic ut non

tantum populus suum patrimonium regendum Principi permisit, ut vult Ammian. Marcell. Histor. libr. 14. Verum etiam hoc ipsum, ut omnibus præcesset, in quantum populo persuasum fuit, reipublicæ per unum consuli debere. l. 2. §. 11. de Orig. jur. Dion. p. mibi. 498.

#### X VI.

Unde quæsitum, utrum populus Imperatori tantum omnem potestatem communicaverit, an etiam à se proflus abdicaverit? Respondeo, licet Duarenus ad tit. D. de constit. Princ. cap. 1. posteriorius negat; argumento l. de quibus D. de leg. videtur tamen contrarium de jure civili esse probabilius. Præsertim si loquamur de maiestate personali. s. Principum placita. Instit. jur. nat. Gent. civ. Leges enim passim utuntur verbo concessionis, & translationis. l. ult. Cod. de leg. l. 3. Cod. crimin. Sacr. l. ult. Cod. de sent. & interloc. judic. l. 1. s. 7. Cod. de veteri jur. enucleand. Placent. Instit. ad tit. de jur. nat. Gent. civ. Carpzov. Ad l. Reg. German. cap. 1. sect. 8. num. 20.

#### X VII.

An igitur penes Senatum postmodum ullum jus, ulla potestas remansit? Respondeo, non nisi umbratilis; vel simulacrum aliquod potestatis, idque Principe connivente. l. 2. D. Const. Princ. Nov. 105. in init. --- l. 9. D. de leg. l. 8. Cod. eod. l. quisquis. 5. Cod. Adl. Julian Majestat. Dien. p. mibi. 498. 507 in fin.

#### X VIII.

An ibidem consuetudini tum temporis ullus locus relictus? Id non videtur. Si enim consuetudo legem imitatur, & jus est, & legis habet vigorem. Nec in statu monarchico populi sit legem ferre, verum solius Principis. Consequitur manifestè, consuetudinis in imperio nullam esse vim, nisi à Principe fuerit approbata. s. jus non scriptum. Instit. jur. nat. Gent. civil. l. ult. Cod. de leg. quo refero l. 2. Cod. quæ sit long. conf.

#### X IX.

Verum, an postquam omnis illa populi potestas in Principem est translatæ, legum vinculis Principem exemptum dicemus? Respondeo, ita quidem velint ipsi Principes quibus forte plebiscitum Atheniense placeret, ut quidquid Rex Demetrius jussisset, illud

& apud Deos fas, & apud homines jus esset. Idem ex parte innuerit  
evidentur, omnes illæ sententiae & phrases, quæ adulationibus  
plenæ, legibus nonnullis civilibus continentur; quasq; principes  
ad suum arbitrium effinxerunt. §. ult. Instit. quibus Mod. Testam. Infirm.  
l. 31. D. de leg. l. ult. Cod. de leg. l. 3. Cod. Sacril.

Attamen per omnia id verum non esse, etiam ex leg. civilibus  
colligi potest. l. digna vox. Cod. de leg. vid. Donell. I. comm. 17. Dan.  
Ethic. Christ libr. 2. cap. 12. Bauchov. ad §. ult. Instit. Quibus mod. Test.  
infirm. Speckhan. I. q. 72. Barbos. coll. in Cod. ad. l. 4. Cod. de leg. ibi-  
demque innumeris. Ut tamen audiendus non sit Cujacius obs. 15.c.  
30. & obs. 26. cap. 35. Qui tantum legibus caduceariis & pænariis  
Principem velit esse solutum, aut aliquibus juris solemnibus.  
Id enim Principi non competit, vi potestatis supremæ, sed ex sin-  
gulari quodam beneficio Augusta quippe talibus gaudet privile-  
giis, licet non habeat legibus solutam potestatem. l. 31. D. de leg.  
Besold. oicon. jar. tit. 4. libr. I. P. q. 7. ibidemque varii.

## X X.

Verum quis sensus istorum verborum, quod Principi placuit,  
legis habere vigorem? Quæ verba existant d. §. 6. Instit. & l. I. D de Con-  
stit. Princip. An autoritatis legislatoriæ diminutionem designa-  
bunt? Non equidem. Et quia Principi eadem concessa fuit pote-  
stas, quæ erat populi l. 3. in fin. D. de offic. Prætor. Igitur vere potuit  
leges condere. l. ult. cod. de leg. Et quia ea verba referuntur ad Prin-  
cipis placita, postquam ei legum ferendarum potestas est tributa.  
d. §. 6. & d. l. I. Et quia locis allegatis, ea Principis placita, quæ  
legis vigorem habere dicuntur, leges esse citra dubitationem affir-  
matur. Ut hallucinetur Perezius, qui placita Principum tanta fuisse  
censet, ut appellari leges meruerint. Quasi, ideo duntaxat dicantur  
legis habere vigorem. Perez. tit. Cod. de legibus num. 2.

## XXI.

Sed quid de signabunt illa verba d. §. 6. & d. l. I. quibus di-  
citur, ei & in eum populum suam potestatem transtulisse? U-  
trum emphatice accipienda? sic ut populus Principi & in  
Principem suam transtulerit potestatem? Respondeo, non vide-  
tur. Neque enim tam foret emphasis quam pleonasmus. Præter-

quā quod non videatur probabile, populum sic ostendere voluisse suam obnoxiam in Principem voluntatem, ut id perperam vult Bacchov. ad d. §. 6. Instit. Utrum potius per vocem ei designabimus imperatorem, & per vocem, in eum, ipsum populum? Ita effectu inspesto dicendum videtur. Potestas enim Principi collata non tantum in Provinciales, & subjectos populo Romano, sed & in ipsum populum Romanum. Neque hinc absurdus oritur sensus, si dicamus in ipsum populu principi datā esse potestatem. Præsertim cum aliter frustra positū fuisset vocabulum ei. Cui non obstat, quod elegantiæ repugnare videatur, pronomen non reciprocum, pro reciproco usurpari: præsertim cum id in jure infrequens non esse ex variis juris locis colligatur. l. si quis. 22. in Princ. D. de leg. 3. l. 17. §. ult. D. Recept. Arbitr. Dion. p. mihi. 499. Theophil. ad d. §. 6. Instit. Duaren. cap. 1. de potest. Princ. Coras. ad d. l. 1. Baro ad d. l. 1. D. de Princip. Constit.

Quod si per eum, designemus ipsum Principē? Non videtur ille sensus admittendu s. Absurdum quippe esset alicui dare potestatem, quam ipse adversum se utatur. Præterquam quod illam potestatem, sic concessam, non acceptassent Principes, ut qui potius absolutum spirassent imperium. Nec insuper quis sibi jus dicere aut Imperare valeat. l. 51. D. de Recept. Arbitr. l. 40. in fin. D. fidei commis. liberto. l. 7. §. 8 in fin. D. don. inter vir. & uxor. Besold. Oiconom. jur. ad tit. D. Constit. Princip.

---

## Corollaria Respondentis.

### I.

**H**eres neglecto inventario amittit quartam Falcidiam, an ex Trebellianicam? non item.

### II.

Codicillos nemo facere potest nisi qui & testamentum.

Nex

III.

Negotiorum gestor praestat culpam levissimam

IV.

Filius familias qui creditor i pecuniam mutuatus Contra Sctum  
Macedonianum solvit , si pecunia consumpta sit , non datur  
Patri pecuniae condic<sup>o</sup>n.

V.

In omnibus Iudiciis tam publicis quam privatis ex ore Duorum ,  
aut trium testimoniū firmum erit omne verbum Hinc necessario  
requiri in causis adversus nobilem quinquaginta testes ad mi-  
nimum postquam à loco facti sceleris se subripuit , est contra o-  
mnia jura.

VI.

Mandans aliquem vulnerari , si mandatarius occidit , non tene-  
tur legē Corn. De sicariis.

VII.

Fidejussor obligans se ut principalem debitorem amittit benefi-  
cium ordinis.

VIII.

Furtum sine Affectu furandi non committitur.

F I N I S.

G42521

# AGGRATULATIO VOTIVA,

Ad

*Nobilissimum Iuvenem.*

## D. JOHANNEM NAD ANYI.

D E

*Lege Regia Summā cum Laude disputantem.*

**Q**uid mea *Musa* taces, tanti *Popularis* honorem  
*Carminibus* celebrare *Sacris*? Quem tota *So-*  
*rorum*

*Theſpiadum* pia turba colit : *Pæana* canendo.  
*Rumpe* moram, laudes pergas cumulare *Trophæis*.  
*Iane* igitur magni *proles* generosa *Parentis*!  
Nunc animum variis doctum virtutibus imple.  
*Justitiæ* sit curatibi ; *Furiata* malorum  
*Crimina* contemnas : monitisque insiste paternis,  
*Pannonia* terra tibi causas curasque *viriles*  
*Læta* dat, ergo redux vives tranquillus ad annos  
*Nestoreos*, *Patriæ*, *Fratri*, charisque *Propinquis*.

*Ita ludebat tenui Cymbâ gratulabundus:*

NICOLAUS. J. TETSI